SYNODUS DIOECESANA

SANCTAE BENEVENTANAE ECCLESIAE

Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino

JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TITULI SANCTI PANCRATII
S. R. E. PRAESBYTERO CARDINALI

B U S S I

A R C H I E P I S C O P O

*Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiae
morem die 24 Augusti 1834.*



BENEVENTI

Apud Petrum Paulum Paternò Typog. Archiepiscopalem

JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S.R.E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BENEVENTANÆ

ARCHIEPISCOPUS

Decretum de Synodi aperitione

In Nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Gratias agimus Deo Misericordiarum et totius Consolationis Patri, cujus ope, ex quo nobis grave onus regiminis peramplæ hujus Diœcesis impositum est, Synodos decem cum præsenti celebrare, et typis evulgare potuimus. Tanta Synodorum frequentia sicut Vobis, Venerabiles Fratres, tædii causa non fuit, ita res mira extraneis non sit. Mos laudabilis congregandi cum Episcopo Clerum in Jesu Christi Ecclesia semper invaluit, et viguit. Otho Vercellensis

docuit Synodos bis in anno juxta antiqua decreta indesinenter celebrari (1). Sæpius insuper congregationes, quas Archidiaconi Synodorum instar convocabant, per diœcesim repetebantur (2). Præter hæc habebantur non raro Concilia Provincialia ad discutienda difficiliora Provinciæ negotia.

In illis Synodis tam frequentibus multa perpendebantur, atque usus præclari et Ecclesiæ disciplinæ perutiles magna religione servabantur. Parochi reddebant rationem Episcopo suo, *qualiter susceptum officium celebrent* (3): presbyteri pariter in quadragesima rationem ministerii sui reddebant *sive de fide catholica, sive de baptismo, sive de omni ordine ministerii sui* (4). Atque demum ad dandum specimen laboris, ac industriæ impensæ in sancta educatione adducebantur adolescentiores Clerici: *nec non duos, aut tres Clericos, cum quibus Missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, ut probetur quam studiose Dei servitium peragatis*, sic Concilium Vernum anni 755 c. 2. Si omnes solemnitates, ac ritus antiquissimo hujus Diæcesis more præscripti,

(1) *Capitular. Attonis* c. 27.
(2) *Conc. Londin. an.* 1237. c. 2. 10.
(3) *Conc. Toletan. IV.* c. 26.
(3) *S. Bonif. Arch. Mogunt. Ep.* 105.

atque ante tristissimas vicissitudines temporum accurate servati in plenam observantiam revocari possent; gratularemur et nos de uberioribus fructibus, quos percipere fas esset ex multis hic quoad Synodos solerti cura institutis per Majores Nostros. Ab iis profecto, qui ad Synodos conveniunt, cum Theodulpho sciscitaremur, quantum unusquisque *Domino adjuvante*, *laboraverit*, *aut quam fructum acquisierit* (1). Liberum nobis esset, Clericorum et laicorum dissidia compescere; delicta punire, ac vitia emendare (2). Postremo gaudentibus nobis animum aperire daretur cum laudato Theodulpho (3): *si quis forte nostro indiget adjutorio, nos cum charitate admoneat, et nos cum charitate nihilominus, et pro viribus adjutorium ferre non differremus* ».

Extra ullam dubitationem confidimus, desideria ac vota quæ prætulimus expletum iri ab Omnipotente Deo Patre, et ejus Filio Domino nostro Jesu Christo ob merita et intercessionem Beatæ Mariæ Virginis, S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomæi, SS. Pontificum nostrorum Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Philippi Nerii Con-

(1) *Capitular. cap.* 28.
(2) *Conc. Parisien. an.* 1112.
(3) *Loc. cit.*

fessorum, cæterorumque hujus nostræ Civitatis et Diœcesis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum; ad quorum gloriam, honorem et laudem praesentem decimam Diœcesanam Synodum hac ipsa die 24 Augusti apertam esse, atque incaeptam volumus, decernimus, et promulgamus.

TITULUS I.

De Confirmatione Synodorum usque modo celebratarum.

Diœcesanas Synodos per nos, et a Prædecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quæ his decretis non repugnet, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub pœnis in illis statutis, et comminatis.

TITULUS II.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Quamvis Rectores animarum toti semper sint in exponendo Christifidelibus cultum et honorem, quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum prosequi debeant ad utiliter consequendos effectus divinæ bonitatis, nihilominus quia opus illud est tam altæ sa-

pientiæ, et infinitæ charitatis, de quo fari numquam satis valet hominum lingua, iterum in hac Synodo Parrochis et Concionatoribus præscribimus, ut ante omnia explanent, Dominicæ Passionis Mysteria ad Dei gloriam et nostrum bonum in Missæ Sacrificio mystice renovari. Fideles profecto eadem iterum atque iterum recolentes debitas gratias divino Salvatori agent, sancto timore, et tremore Sacris aderunt, atque pietate ferventes uberiores Redemptionis fructus consequi promerebunt.

Quoniam vero major animi dispositio requiritur in iis, qui ad Eucharisticam mensam accedunt; majorem etiam sollicitudinem impendant Parrochi et Confessarii, ut eos præparent ad dignius ac fructuosius divinam coenam manducandam. Tradant præterea, quam magnas divitias ipsi sibi parient, si frequenter carnem Domini manducaverint; et ita eos alliciant, sæpius per annum, vel saltem in solemnioribus festis communicare, ut admonuimus in præcedenti Synodo anni 1827 tit. 3.

Prædicent ut omnes adulti, qui ob ætatis discretionem Ecclesiastico Præcepto Paschalis communionis parere tenentur, illud diebus præfinitis, videlicet a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in albis adimplere non prætermittant, nisi detineantur

gravi necessitate ad Confessariorum consilium, vel fulciantur Apostolico privilegio.

Præterquam in solemnitate Corporis Christi, Ostensorium cum Sacratissima Hostia per vias processionaliter non circumferatur sine præcedenti nostræ Curiæ licentia. Sodalitates sub titulo Sanctissimi Corporis Christi, quibus qualibet tertia Dominica in singulis mensibus ex antiqua consuetudine, vel privilegio permissum est exponere in earum Ecclesiis SS. Eucharistiam, illam processionaliter in ambitu solummodo Ecclesiæ sciant posse gestare.

In hujusmodi supplicationibus Parrochi suis suasionibus et hortamentis efficiant, ut fideles, qua decet, modestia, animi demissione, et sacrarum precum recitatione Dominum comitentur. Hic juvat proferre Decretum S.R.C. diei 15 Maii 1819 quod est » *Cum Missa celebratur pro exponendo Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, et in ea duæ consecrantur hostiæ, altera pro sacrificio, altera pro expositione facienda post Missam, in ea legenda est Collecta de Sacramento* ».

Volumus denique, ut Parochi seu Rectores Ecclesiarum, ubi Sacramentum Eucharistiæ continuo asservatur, venerationi fidelium sacram Pyxidem juxta receptissimum et laudatissimum usum quotidie exponant

in altari, et precibus congruentibus recitatis Sancta benedictione eos donent, ad eam salubriter suscipiendam prius dispositos per actus fidei, spei, charitatis, et contritionis.

TITULUS III.

De rebus Ecclesiae alienandis vel non.

Ex temporalibus Ecclesiae bonis conservatur exterior divinus cultus; item alimoniam sibi vendicant ejus Ministri, et non mediocris neque spernenda humanae societatis pars, quae inexplicabili vicissitudinum sorte aliorum indiget auxilio, vel subsidio. Specialis sane providentiae fuit Ecclesiam suum patrimonium habere; atque canonicis regulis administrare ac tueri res quasdam communes, quibus levamen accommodate tribuat necessitatem patientibus. Illud enim requirit beneficiorum institutio, ut detractis ad congruam sustentationem beneficiatorum, et ad onera ferenda necessariis, reliqui proventus beneficii eleemosinis, et piis operibus insumantur. Praxim Ecclesiae sublevandi multiplicis egenorum inopiae suis redditibus mirifice esposuit Dyonisius Chorinthius, epistola qua Soterum Pontificem

sic fidenter alloquutus est (1): « *Hæc vobis consuetudo est jam inde ab ipso Religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, et Ecclesiis quamplurimis, quae in singulis urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus, qui in metallis opus faciunt, necessaria suppeditatis* «. Quapropter Ecclesiae Rectores, et praesertim Summi Pontifices solertem operam incessanter navarunt a remota antiquitate, ne res, et facultates *ipsis in Episcopali ordinatione, munere Spiritus Sancti, ad dispensandum et gubernandum commissae* (2) alienationibus inconsulto initis vel perditum irent, vel paterentur diminutionem. Nefas esse bona proprietatis Ecclesiae distrahere, S. Leo docuit (3) scribens Episcopis per universam Siciliam constitutis. Alii quamplures Pontifices et Concilia tam universalia, quam particularia idem sanxerunt paenis spiritualibus sua placita confirmantes. Toto orbe celebrata, et usu recepta est Pauli II. constitutio, quae incipit

(1) *Euseb. lib. 4. c. 23.*
(1) *Hinemar. Remens. t. 2. p. 3. c. 8.*
(1) *Ep. 17.*

Ambitiosa (1) qua laudatus Summus Pontifex *omnium rerum, et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium* fieri prohibet, declarans alienationes hujusmodi nullius roboris vel momenti, *et tam qui alienat quam is qui alienatas res, et bona receperit*, sententiam excommunicationis incurrere.

Semitas Sacrorum Canonum ingressi sunt Summi Principes, qui patrimonium Ecclesiae inprimis piis oblationibus auxerunt. Celebrant Annales profusas laudatorum Principum liberalitates: referunt praeterea illud prorsus mirabile, lege nempe Marci Aurelii ob filiam Episcopi Hieropolitani praecibus a Demone liberatam, hujus Ecclesiæ fuisse tria millia modiorum frumenti singulis annis distributa usque ad ætatem Juliani Apostatæ (2). Verum religio eorum potissimum emicuit, cum animum converterunt ad tuendum providis legibus idem patrimonium adversus hominum injurias. Jussit Constantinus Magnus Imperator cun-

(1) *De rebus Eccl. alienan. vel non inter com.*

(2) *Acta B. Alberici ap. Bar. an.* 163.

cta, restitui, quae *ad Ecclesias recte visa fuerint pertinere*, et his essent sub idolatria ablata, *sive domus ac possessio sit*, *sive agri*, *sive horti* (1). Justinianus vetuit transferri res Ecclesiarum sub cujuscumque alienationis specie ad aliam personam (2): Reges Francorum interdixerunt pariter suis capitularibus alienationes bonorum Ecclesiæ (3).

Novissime Ferdinandus II. Utriusque Siciliæ Rex legem evulgavit die 1. Decembris 1833., qua pietatem æmulatus veterum Christianorum Principum mandavit non fieri super bonis Ecclesiæ permutationes, transactiones, et contractus quoscumque nisi solemnitates, quibus læsiones avertere satagit, in iis adhibeantur. Præcipuum sane fundamentum validitatis hujusmodi alienationum est necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas; quae si desint, corruat opus est natura contractuum. Beneficiati igitur, et alii Administratores bonorum Ecclesiæ præ-

(1) *Euseb. de Vitis Constant. lib.* 2. *c.* 29.

(2) *LL.* 14. *et* 17. *Cod. de SS. Eccl. et Nov.* 7. *c.* 1.

(3) *Munach. del dritto libero della Chiesa di acquistare etc. lib.* 3. *c.* 1. *pag.* 61. *et seq.*

fati omnia respiciant; cum aliquos fundos sui beneficii contingit debere alienari. Qui enim sine præscriptis solemniis vel distrahit, vel acquirit; pœnas in jure statutas incurrit, et efficit actum nullius roboris; hinc est, quod fundos una cum fructibus restituere, ac illata damna resarcire tenetur. Hæc obligatio afficit Beneficiatos quoque, et Locorum Piorum Administratores, quorum incuria bona vel jura Ecclesiæ amissa sunt, cum ii ob non captas inscriptiones hypothecarias, vel alio modo res Ecclesiæ non vindicatas causam fuerint eorumdem amissionis, prout in Synodo Diœcesana anni 1825. tit. V., traditum est.

TITULUS IV.

De Libris improbatæ lectionis.

Prodierunt duo libelli cujusdam Cerati ex-Regentis humanitatis in Collegio Adjacii, typis editi Lutetiæ Parisiorum, alter anno 1828. cui titulus: « *Des usurpations Sacerdotales, ou le Clergè en opposition avec les principes actuels de la sociétè, et du besoin de ramener le culte Catholique a la Religion primitive, precedè du recit cc.* « ; alter vero anno 1831. in-

scriptus : « *Des dangers du Celibat, et de la necessitè du mariage des Pretres* « . Supremae Inquisitioni Congregatio praeposita ambos reprobandos censuit, et quod ad materiam *utpote depromptam ac descriptam ex veteribus falsis, impiis, et calumniosis hæreticorum ac præsertim Protestantium dictis ac scriptis pluries a Sancta Sede Apostolica damnatis.* Supradictos pariter libellos censura Theologica iussit, et declaravit, *refertos esse propositionibus et sententiis respective scandalosis, et temerariis, male sonantibus, laxis, et seductivis, falsis et calumniosis, erroneis, schismaticis, hæresi proximis heresim sapientibus, atque etiam hæreticis.* Quapropter jure merito laudata S. Congregatio sub die 19. Februarii currentis anni decreto per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam Gregorium XVI. approbato eosdem libellos damnavit, et legere vel retinere, quocumque idiomate evulgentur sive vulgati sint, prohibuit, et locorum Ordinariis tradi sanxit sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, aliisque pœnis in jure statutis.

Ipse praeterea Summus Pontifex libellum alium sine nomine auctoris in vulgus editum, et Gallice inscriptum : » *Paroles d' un Croyant* « ; quod sonat Italice : « *Parole di un Credente* « , damnavit et dam-

nationis sive reprobationis sententiam promulgavit literis Encyclicis ad omnes Orbis Episcopos diei 7. Kalendas Julias currentis anni.

Ex præfata Summi Pontificis sollicitudine argumentum sumere licet quantae perniciei sint, quæ scatent e libello supra citato, mole quidem, ut fatur citata Encyclica, exiguo, pravitatibus tamen ingenti. Enimvero *captiosissimis ut plurimum verborum fictionumque involucris* oppugnanda suscipitur Catholica doctrina, quam litteris diei 15. Augusti 1832., patefactis in nostra Synodo ejusdem anni, prima Cathedra definivit *tum de debita erga potestates subjectione, tum de arcenda a populis exitiosa indifferentismi contagione, deque frænis injiciendis evaganti opinionum, sermonumque licentiae, tum demum de damnanda omnimoda conscientiae libertate, teterrimaque societatum, vel ex cujuscumque falsae religionis cultoribus, in sacrae et publicæ rei perniciem conflatarum conspiratione.*

Auctor insuper libelli *vinculum quodlibet fidelitatis, subjectionisque erga Principes disrumpere conatur, face undequaque perduellionis immissa, qua publici ordinis clades, Magistratuumque contemptus, legum infractio grassetur, omniaque et sacræ*

et civilis potestatis elementa convellantur. Sed illud præsertim indignationem excitat, ut prosequitur Pontifex in laudata Encyclica, *divinas praescriptiones tantis erroribus adserendis ab Auctore afferri*, et verba Sacrarum Scripturarum *ad prava hujuscemodi deliramenta inculcanda callide, audacterque detorquere.* Quare Sanctissimus Dominus Noster Suprema, quam ei Jesus Christus concredidit, auctoritate, memoratum librum, quo *per impium Verbi Dei abusum populi corrumpuntur ad omnis ordinis publici vincula dissolvenda, ad utramque auctoritatem labefactandam, ad seditiones in imperiis, tumultus, rebellionesque excitandas, fovendas, roborandas, librum ideo propositiones respective falsas, calumniosas, temerarias, inducentes in anarchiam, contrarias Verbo Dei, impias, scandalosas, erroneas, jam ab Ecclesia praesertim in Valdensibus, Wiclefitis, Hussitis, aliisque id generis Haereticis damnatas continentem* reprobat, ac damnat.

Dum Auctor, præclaras naturœ dotes, quibus a Deo ditatus fuerat, impeusurus, prout incepit, in bonum Catholicæ Religionis, et de hac maximopere promeritus esse videbatur; illico immutato consilio cuncta et sacra et profana immiscere, atque sus deque vertere pro viribus enixus est. Insta-

bili vitæ ratione innovavit is deplorabile exemplum humanæ infirmitatis ad arcana divini consilii, cujus inscrutabilia sunt judicia, referendum. *Deserit aliquantum Deus*, inquit S. Augustinus (1) *unde superbis: ut scias non tuum, sed ejus esse; ut discas superbus non esse.* Proclivitas insuper illa veritatem deserendi et in errores prolabendi vitio vertitur, haud ita pridem invecto Philosophiæ sistemati, *plane improbando* ex sententia Summi Pontificis, *quo ex projecta et effrænata novitatum cupiditate veritas, ubi certo consistit, non quæritur, sanctisque et Apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinæ aliæ inanes, futiles, incertæque, nec ab Ecclesia probatæ adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines perperam arbitrantur.*

Præexpositam libellorum reprobationem seu damnationem modo impetere sive dictis, sive factis ad impietatem referri debet; eandem vero, uti a Jesu Christi infallibili ore scatentem accipere, et intellectus ac voluntatis subjectione religiosissime prosequi, viri Catholici est. Protulit enim eam, qui vices Christi in terris gerit, cujus fides nunquam deficiet, et cui supernaturalis prerogativa tributa est confirmandi fratres anxios

(1) *De natura, et gratia cap.* 28.

sine periculo erroris. Itaque nemo ex fidelibus sæpe dictos libellos legere, vel apud se retinere debet.

Cum nostrum sit etiam cum vitæ discrimine sanam doctrinam tueri, et a corruptarum doctrinarum lue, quibus animæ inficiuntur, et misere necantur, ovile nobis commissum custodire; hinc solliciti erimus impedire, quominus libri, vel scripta improbatæ lectionis legantur, vel retineantur, vel in vulgus emittantur. Parrochi, Confessarii, aliique omnes, qui charitatem ac religionem fovent in corde, manus nobiscum moveant ad opus tam salutare, atque contumaces in SS. Canones et Apostolicas Constitutiones Nobis, vel Curiæ Nostræ denuncient, memoriam refricantes regularum quoad hoc traditarum in Synodo Diœcesana anni 1830 tit. 6.

TITULUS V.

De iis, quæ ad universas constitutiones pertinent.

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quæ singulos tangit, præcipimus, ut suam quisque obligationem cognoscat, præcipue Canonici, et alii de nostro Capitulo, vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parochi,